



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 991. An, & quando tempore puerperii post partum abstinendum ab ingressu temple, & quæ obligatio ante ingressum petendi benedictionem à parcho, eidemque offerendi pro ea aliquid.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



lis est utique dicta translatio, per quam sancti aliejus corpus aut notabiles reliquie veluti magnus thesaurus spectantes ad unam Ecclesiam alienantur ab ea & transcribuntur alteri) necesse habent expediti juxta cap. 1. *Et rotum tit. de his, que sunt à prelatiis.* An verò præter consensum Capituli Ca-

thedralis requiratur consensus Abbatis & conventus aut aliorum Clericorum, dum corpus transferendum spectet ad monasterium aut aliam Ecclesiam collegiatam, merito dubitatur, & videtur affirmative respondendum, cum in tali alienatione immediate agatur de re propria eidem auferenda.

## TITULUS XLVI.

### De observatione jejuniorum.

**C**um pauca, quæ in jure canonico *h. t.* tractantur, ex consuetudine nota sint, ut, quod si festum nativitatis Domini, assumptionis B. V. Apostolorum incidat in feriam secundam, Vigilia & jejunium celebranda sabbatho præcedenti *c. 1. h. t.* quod omnibus vigiliis Apostolorum, præterquam S. Joannis Evangelistæ & SS. Philippi & Jacobi sit jejunandum, quodque necessi-

tas & infirmitas excuset à jejunio *c. 2. h. t.* quod liceat vesci carnibus omnibus qui non sunt adstricti voto vel regulari observantia ad jejunium feriæ sextæ, si in eam incidat festum Nativitatis Christi *c. 3. h. t. & c.* ea verò, quæ occasione hac introducuntur huc ab aliquibus Canonistis, & in specie Wiesta. quia propria sunt Casistis, à quibus fuse exponuntur, more aliorum Canonistarum, illis ea consultò relinquimus.

## TITULUS XLVII.

### De purificatione post partum.

*Quæst. 991. An & quanto tempore puerperis post partum abstinendum ab ingressu templi, & quæ obligatio ante ingressum petendi benedictionem à parochio, idemque offerendi pro ea aliquid?*

**R**esp. Ad primam partem hujus quæstionis, quæ unica est *hujus tit.* præceptum, quo in lege veteri Levitici 12. arcebantur ab ingressu templi per 40. dies, si masculum, per 80. si foemellam peperissent modò sublatum est; unde, si velint & vires patiantur, mox à partu illis acturis gratias Deo, licebit templa ingredi. Sitamen ex veneratione & decencia seu laudabili verecundia aliqua, ab hoc ingressu abstinere velint, per septimanas aliquot, ut ferè habet moderna consuetudo, nequaquam id illis denegandum. Cum etsi lex illa verus mortua sit, non tamen reddita mortifera, ita ut observantia illius modò inducat peccatum, uti accidit quibusdam legibus caeremonialibus veteris testamenti, nimirum quæ principaliter ordinatæ ad præfiguranda myste-

ria Messie seu Christi futura, quæ quia jam completa, leges tales repugnant veritati fidei.

2. Resp. Ad alteram partem, tamen si in jure non existeret præceptum petendi à parochio proprio ante hanc ingressionem ad introductionem earum benedictionem offerendique pro ea eidem honorarium aliquod, utriusque tamen ubique ferè viget consuetudo, & quidem in locis pluribus continens obligationem, pro ut in simili dici solet de oblationibus, ad quas percipiendas à parochianis intentionem fundatam habet ut Abb. *in c. 9. de his que sunt C. præl. n. 2.* Barb. *de off. paroch. c. 24. n. 22.* & numeratur inter jura parochialia juxta declarationem S. congreg. Cardinal. interpret. Concilii Trid. *de an. 1662. 18. Novembr.* Ita Reiffenst. ad *h. t.* addens propterea nullatenus competere illam benedictionem regularibus. Lauret. de Franchis, *de contrrov. inter Episc. & regul. p. 2. q. 69. n. 1.* quamvis hic in fine hujus num. addat, in hoc præcipuam habendam rationem consuetudinis legitime præscriptæ, quæ seclula purificationem etiam à regularibus admitti posse, præsertim, cum ab iis etiam recipi possint oblationes, quæ in eorum Ecclesiis fiunt, quod ipsum confirmat. Wiesta. *h. t. n. 6. & 7.*

## TITULUS XLVIII.

### De Ecclesiis ædificandis & reparandis.

#### CAPUT I.

### De ædificandis Ecclesiis parochialibus aliisque & monasteriis.

*Quæst. 992. Ecclesie materiales quotuplicis generis.*

**R**esp. Ecclesie materiales (id est, templa seu ædes publicæ divino cultui deputata, in quibus fideles ad administranda & percipienda Sacramenta, sacrificium missæ of-

ferendum & audendum conveniunt) alie dicuntur Basilicæ, quales olim dicebantur Ecclesie nondum consecratæ. Abb. *in rub. de consecrat. Eccles. n. 2.* hodie majores & principales à Regibus constructæ, ad quos Principes divinorum officiorum gratiâ convenire consueverunt. Barbof. *jur. Eccles. s. 12.*

XXXX 2

s. 12.

R. P. Lem. *Jur. Can. Lib. III.*